

habetur a nostris? Quid? totum prope coelum, ne plures persequar, nonne humano genere completum est?

Cap. XIII. Si vero scrutari vetera, et ex his ea, quæ scriptores Graeci prodiderunt, eruere coner: ipsi illi, majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in coelum reperientur. Quaere, quorum demonstrantur sepultra in Græcia; reminiscere, quoniam es initiatus, quae traduntur mysteriis: tum denique, quam hoc late pateat, intelliges. Sed qui nondum ea, quae multis post annis tractari coepissent, physica didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum natura admone nente cognoverant; rationes, et causas rerum non tenebant: visis] quibusdam saepe movebantur, iisque maxime nocturnis, ut viderentur ii, qui vita excesserant, vivere. Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt (id enim vitioso more effici solet); omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur; nec vero id collectio hominum, aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus: omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturæ putanda est. — Quis est igitur, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur? Tolle hanc opinionem; luctum sustuleris. Nemo enim maeget suo incommodo; dolent fortasse et anguntur: sed illa lugubris lamentatio fletusque maerens, ex eo est, quod eum, quem deleximus, vitae commodis privatum arbitramur, idque sentire. Atque haec ita sentimus natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina.

Cap. XIV. Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curae sunt, et maxime quidem, quae post mortem futura sint. *Serit arbores, quae alteri seculo prosint*, ut ait ille in Synephebis: quid spectans, nisi etiam postera secula ad se